



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866**

Prætermissi Et In Alios Dies Relati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

A

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

**S**ancti Erhardi episcopi et confessoris *Translatio hoc die in Usuardina editione Lubeco-Coloniensi et apud Grævenum legitur. Fuit hic S. Erhardus episcopus Ratisponensis, cujus Vitam apud nos illustratam habes ad diem*

viii Januarii.

**S.** Oswaldi episcopi et confessoris *translatio hodie signata est in Antverpiensi Majori Usuardino codice apud Sollerium. Oswaldus hic est archiepiscopus Eboracensis, de quo actum apud nos est*

xxviii Februarii.

**B.** Philippi episcopi *apud Cortinam urbem Crete hodie annuntiantur codices Bruxellensis et Vaticanus inter auctaria Usuardina apud Sollerium. Est hic episcopus Gortynensis in insula Creta, apud nos jam datus die*

xi Aprilis.

**Dedicatio ecclesie sancti Marci Evangelistæ in alma civitate Venetiarum hodie legitur in Usuardino codice Stroziano apud Sollerium, Belino, Molano et aliquot aliis. Consule Opus nostrum in eodem S. Marci Evangelistæ die**

xxv Aprilis.

**S.** Pelagia martyr *hodie in Menæis Græcorum excusis, aliisque aliquot Fastis sacris, tum Græcis, tum Latinis celebratur; verum hæc alia non est, quam Pelagia virgo martyr Tarsensis, sub Diocletiano coronata, de qua apud nos jam actum ad diem, quo Martyrologio Romano inscribitur,*

iv Maii.

**S.** Petronia, filia S. Petri Apostoli, *Synaxario Ms. Sirmondiano Græco hodie exstat inscripta, quæ haud dubie alia non est, quam S. Petronilla virgo Romana, S. Petri Apostoli spiritualis filia, de qua apud nos cum Martyrologio Romano jam actum die*

xxxi Maii.

**S.** Pelagiam virginem *hodie commemorant Magna Græcorum Menæa excusa. Hanc adjuncti versiculi esse indicant Pelagiam virginem martyrem Antiochenam, hodie quoque in aliis aliquot Fastis sacris celebratam, atque apud nos jam datam ad diem, quo in Martyrologio Romano signatur,*

ix Junii.

**C.** S. Anastregildem viduam, S. Lupi, Senonensis episcopi matrem, *hodie annuntiat Martyrologium Parisiense, anno 1727 vulgatum, inter Addenda pag. xiv. Actum de hac sancta Vidua apud nos est die*

i Septembris.

**B.** Ugonis episcopi Volaterrani *in Tuscia Vitam hodie dandam promiserant Majores nostri inter Prætermisssos ad diem ix Februarii, sed pro mense Octobri scribendum est Septembris, ad quem de eo jam egimus: vide ergo*

viii Septembris.

**S.** Gerulphi martyris *Adventum Trunchinium hodie memorant Molanus, et Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano. Hujus sancti Martyris gesta, ejusdemque reliquiarum ex pago Merendra Trunchinium prope Gandavum in Flandria Adventum, seu Translationem illustravimus ad diem*

xxi Septembris.

**S.** Martinum, Vallis Paradisi in Hispania abbatem *Martyrologium Ordinis Cisterciensis, inter monastica Martyrologia ad calcem Romani, a Benedicto XIV Papa aucti, editum, annuntiat hoc die, quod eidem affixa sit ejus-*

*dem Sancti Officii, ad universum Cisterciensem Ordinem extensi, recitatio. De eo egimus die, quo obiit, antiquumque cultum habet,*

vii Octobris.

**S.** Susanna virgo *hodie in nostro Ms. Florario Sanctorum, anno 1486 ad calcem perducto, occurrit hoc modo: In pago Blionensi sanctæ Susannæ virginis. Consonat paulo post facta Usuardina editio Lubeco-Coloniensis, apud Sollerium nostrum inter Usuardi Martyrologii auctaria, totidem verbis inquiriens: In pago Blionensi, sanctæ Susannæ virginis. Eadem adoptarunt Grævenus et Molanus, in suis item editionibus Usuardinis auctis, præterquam quod horum Prior Blionensi habeat pro Blionensi. Accesserunt Maurolycus in suo Martyrologio et Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, retento vocabulo Blionensi. At quænam hæc S. Susanna virgo est? Quis pagus Blionensis, aut Blionensis? Silentibus reliquis jam memoratis, solus Ferrarius in Annotatis ibidem ait: Quæ (S. Susanna) in pago Blionensi, diocesis, ut videtur, Bononiensis quiescit, et venerationem habet. Per Bononiam autem hic, ut aliunde colligo, indicat Bononiam, alias etiam Bononiam, indigenis Bologne dictam, civitatem Gallie in Picardia, quæ seculo decimo sexto post Tervannæ eacidium episcopatu illustrata est. Proinde fortasse censuit Ferrarius, Blionensi corrupte scriptum fuisse pro Bononiensi. Arturus in Gymæco sacro ad hanc diem præter virginitatem etiam martyrii palmam eidem adscribit; martyrem aut Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 362, atque ambo eam S. Libaria sororem faciunt, consentitque Saussayus in Martyrologio Gallicano ad diem xi hujus mensis Octobris. Verum id ipsi acceperunt ex Vita S. Eliphii, quam Baronius ipsemet viliosam agnoscit ibidem. De S. Libaria agimus hoc ipso die, quo cultum certo habet, quod de Susanna, si quæ fuerit hujus nominis Libaria soror, non possum asserere, eoque minus possum, quod Castellanus, diligentissimus Sanctorum, maxime Gallie, indagator, qui Libariam ad diem xi hujus mensis in suo Martyrologio Universali recensuit, dictæ Susannæ in eodem nusquam meminere. Quod vero Ferrarius asserit, hanc, seu hujus corpus in pago Blionensi, vel in diocesi Bononiensi, quiescere, nihil me movet, tum quod martyrologi, quos laudat, id non tradunt, tum quod ne locus quidem, in quo illud quiescat, ei sat notus fuerit, ut liquet ex adjectis vocibus: ut videtur. In prædicta S. Eliphii Vita eadem in Campania tumultata legitur. Hæc me impulerunt, ut hanc Susannam non inter Sanctos Bèatôsque, sed solum inter Prætermisssos recensere, quippe quæ ex conspersa fabulis Vita solum nota videtur, nec certum, quem quidem sciam, cultum habet. Ceterum poterit lector consulere, quæ in S. Libaria dicemus hoc eodem die*

viii Octobris.

**S.** Nicodemus martyr *hodie signatur in Ms. Synaxario Græco Sirmondiano, verum cum id absque ullo addito elogio fiat, nobisque Nicodemus iste aliunde cognitus non sit, sola Synaxarii*

- A xarii illius, cui etiam non satis fidimus, auctoritate referre illum in Opere nostro inter Sanctos non audemus.
- S. Flaviani martyris commemoratio hodie legitur in Usuardina editione Lubeco-Coloniensi et apud Grevenum; at cum nec palaestra, nec aliud quidquam addatur, varique per annum recurrant ejusdem nominis Martyres, quis horum ibi indicetur, mihi minime in promptu dicere est.
- Petrus Æmilianus, Carmelitarum Generalis, cum Beati titulo hodie legitur in Calendario Aciëi bene ordinatæ Sanctorum Beatorumque ejusdem Ordinis præfixo, at non in ipso Martyrologio.
- Eliam Dunensem in Flandria abbatem, velut Beatum in Menologio Cisterciensi hodie signat Henriquez; sed ejus cultum non docet, qui eo etiam minus verisimilis fit, quod nec Molanus in Natalibus Belgii, nec Raissius in eorumdem Auctario, nec Sanderus in Sanctis Flandriæ Eliam istum memorent.
- Stanislaus Polonus Carolusianum cum Beati titulo memorat inter beatos Patronos Poloniæ Martinus Baronius, eumque hoc die VIII Octobris anni 1512 prope Dantiscum obiisse in conventu Paradisiensi, et ibidem honorifice sepultum esse, affirmat: sed nihil habet de cultu.
- B Beatricem, Ordinis titulo Conceptionis B. M. V. institutricem, Toleti in Hispania cum Beatæ titulo Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi hodie annuntiat; sed cum ejus cultum, qui mihi aliunde quoque incompertus est, minime probet, nequeo ei in hoc nostro Opere inter Sanctos Beatosque locum dare.
- S. Parinillus, nobis cetera ignotus, hodie in solo Epternacensi legitur.
- Goela virgo, simul cum Reparata hodie memoratur apud Rosceydam in Appendice Martyrologii Adoniani, hoc modo: Item Reparata et Gloca virginum. Reparata haud dubie est Cæsarensis in Palæstina virgo martyr, quam hodie cum Martyrologio Romano damus, verum nullam ei sociam additam legimus. Castellanus in Additionibus ad Martyrologium Universale, pag. 984 et sequenti, die VIII Octobris Goclam virginem post S. Thaidem addendam monet ex libro Gallico, cui titulus: Thesaurus intercessionis Sanctorum, approbato a N. Sanguin episcopo Silvanectensi . . . typis edito sine nomine auctoris Parisiis anno MDXXXIX apud Cramoisy. Verum hic liber ad manus nostras non pervenit, et, sive hæc Goela eadem sit cum annuntiata in Appendice Adonis, sive diversa, nobis æque ignota est; ac proinde si quis nos de ea certiora docuerit, dari apud nos poterit in Supplemento Octobris.
- Abraham patriarcha annuntiat in Ms. Martyrologio S. Martini Trevirensis: in Romano ad diem, quo dabitur, IX Octobris
- SS. Dionysius, Eleutherius et Rusticus, Parisiis pussi, hodie recurrunt in aliquot apographis Hieronymianis; de quibus, uti jam alias dictum est, cum Martyrologio Romano agemus die IX Octobris
- SS. Marcellinus, Geminus, Nuvius, Primina in Epternacensi Martyrologio hodie, at in plerisque aliis codicibus Hieronymianis signantur die, quo de iis agi poterit, IX Octobris. Octobris Tomus IV.
- S. Affrenia, cujus hodie meminit Martyrologium D Epternacense, videtur eadem, quæ in codicibus Hieronymianis Florentini, Acherii, et Augustano Labbeanoque Sollerii, nomine Afræ legitur IX Octobris.
- S. Diodorus, quem Martyrologium Epternacense Laodaciæ Frigiæ hodie annuntiat, uti et Atticus, Lugdulus, Septimus et Julius, quos sic Diodoro jungit, ut tamen alibi nuntiet, in codicibus Hieronymianis Florentini et Acherii, et in Richenoviensi, et Labbeano apud Sollerium, aut partim aut omnes, referuntur ad diem IX Octobris.
- SS. Gereon et Socii martyres hodie etiam memorati, in Martyrologio Romano referuntur die, quo de iis agemus, X Octobris.
- SS. Eusebius, Eraclus, Dionysius et Candidus memorantur in Martyrologio Hieronymiano Epternacensi: ex quibus Dionysius et Eraclus spectare videntur vel ad classem Sanctorum, quorum antesignanus est Dionysius episcopus cum sociis suis hoc die dandus; vel ad diem X Octobris, quo simul junguntur in Martyrologiis Richenoviensi, Augustano et Labbeano apud Sollerium tom. VII Junii, et Gellonensi E apud Acherium: Candidus vero nec in codicibus Hieronymianis Martenei, nec Florentini, nec Acherii, nec Sollerii occurrit. Vide igitur de prioribus dicenda hoc die, vel X Octobris.
- SS. Tharacus, Probus et Andronicus, Tarsenses in Cilicia martyres, hodie sunt in nonnullis apographis Hieronymianis; in Romano autem die, quo dabuntur, XI Octobris.
- SS. Daniëlem et Socios, Ordinis S. Francisci Septæ in Mauritania martyres, hodie habet Castellanus in Martyrologio Universali; in Romano sunt die, quo eorumdem gesta illustrabimus, XIII Octobris.
- S. Caprasium martyrem Agenni hoc die habet Ms. Martyrologium S. Martini Trevirensis, Romanum vero, quo de eo agemus, XX Octobris.
- Nestorem quemdam, velut martyrem, Thessalonice coronatum, celeberrimo martyri Demetrio, ibidem passo, hodie in Martyrologio Romano addendum censuere eruditissimi, qui id reformarunt, viri: verum hisce tom. 5 Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 638 et binis seqq. refragatur Tillemontius: et sane non immerito, ut apparet: rationes, ob quas ita existimem, in Commentario, Actis S. Demetrii martyris mox dicti atque hodie dandi prævio, adducam in medium. Quod si autem illæ post haud arriserint, Nestoremque nihilominus sanctis Martyribus in Opere nostro accensere visum fuerit, fieri id poterit ad diem, quo de eo præcipuum suum Officium, in Menæis excusis occurrens, Græci faciunt, XXVII Octobris.
- Ewigii confessoris in Anglia hodie meminit Grevenus: in nostro autem Ms. Florario Sanctorum eodem die sine loco legitur: Item elevatio sancti Ewigii confessoris; at ceteris Martyrologis, quos quidem consului, ignotus iste Ewigius est, etiam Joanni Wilsono in utraque Martyrologii sui Anglicani editione; sed in priori hoc die translatio corporis S. Eloquii Valciodori in territorio Leodiensi annuntiat; fereque consentit Molanus in Usuardo, hoc item die dicens: In Vualchiodoro sancti Eloquii presbyteri et confessoris. Multum quidem est inter utrumque nomen discriminis: verumtamen cum, ut dixi, Ewigius 5 mihi

A mihi plane ignotus sit, Eloqui vero translationem Valciodori etiam multi martyrologi hodie signent, Ewigium pro Eloquio scriptum puto. Vide ergo mox dicenda de S. Eloquio.

S. Eloqui corporis translationem Valciodori in episcopatu Namurcensi hodie varia Martyrologia memorant; de eo agemus die, quo ejusdem Natalis inscriptus Martyrologis legitur. III Decembris.

## DE S. SIMEONE PROPHETA

### HIEROSOLYMIS

J. B.

#### SYLLOGE.

§ I. S. Simeonis apud Latinos, Græcosque memoria : scriptores aliquot antiqui, qui illius mentionem habent.

SUB INITIUM  
SECVLI I.  
Enumeran-  
tibus

B **S**anctum Simeonem, cujus Lucas in Evangelio cap. 2 præclaram facit mentionem, Fasti sacri plerique tum recentiores, tum antiqui, Græci æque ac Latini, licet ad dies valde diversos, certatim celebrarunt. Martyrologium quidem Romanum, a Benedicto XIV auctum et castigatum ad diem VIII Octobris S. Birgiltæ viduæ annuntiationi hæc de S. Simeone proxime subjicit : Eodem die natalis beati Simeonis Senis, qui in Evangelio Dominum Jesum suis in ulnis suscepisse legitur. Multis ante seculis idem præstitit Usuardus, qui hodiernum Sanctorum laterculum his verbis exorsus est : Natalis beatissimi senis Simeonis, qui in Evangelio legitur Dominum suis suscepisse in ulnis. Idem Ado tum in Martyrologio, tum in Libello de Festivitatibus Apostolorum etc. : priore quidem loco hæc tantum scribens : Et beatissimi Senis Simeonis : sed in Libello mox dicto Simeoni ex Lucæ Evangelio elogium texit hunc in modum : Natalis beatissimi senis Simeonis de quo beatus Lucas Evangelista refert : « Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. Responsum autem accepit ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum induerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum id manibus, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Et ita fere habet vulgata Luc. 2 cap. §§. 25, 26, 27, 28, 29.

dies varii,

2 At Florus, Hrabanus, Nolkerus ad diem v Januarii S. Simeonem suis Martyrologiis inseruerunt : Nolkerus, antiquorum martyrologorum exemplo, et Lucæ de Simeone dictis innixus, Prophetæ titulum illi adjecit. Hierosolymæ, inquit, depositio S. Simeonis Prophetæ, qui Dominum Jesum Christum, Spiritus S. illustratione cognitum, de manibus parentum in ulnas suas accepit, et non solum de eo, sed et de Matre ejus futura mystico sermone prænuntiavit; alludens nimirum ad verba Lucæ §. 34 et seq. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum, cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex

multis cordibus cogitationes. Dum vero ait, depositio, indicare videtur, S. Simeonem eo die finem vivendi fecisse. Eadem voce utuntur Hrabanus et Florus; cujus tomo 2 Martii præfixum Martyrologium ita habet : Hierosolyma depositio Simeonis Prophetæ : qui a Spiritu sancto responsum accepit, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Simeonis item meminuit Florus in Carmine de Gestis Christi Domini apud Martene tom. 5 Anecdotorum col. 602; ubi S. Simeonem sacerdotem fuisse, vel sacerdotis, cum Christus offerretur Domino, munere functum, tacite videtur innuere : qua de re cum pluribus infra disserendum sit, paucos versiculos, quibus id aliorum martyrologorum, ut mox videbimus, exemplo facere videtur, huc obiter transcribo : sunt autem hi :

Accipit hunc lætis Simeon sanctissimus ulnis,  
Dumque Deo offertur, dum dat pia munera templo,  
Hunc Dominum lucis, hunc fert regem esse salutis.

Ad diem v Januarii sic pariter Wandelbertus canit :

Sed Nonas Simeon confessor possidet almus. P  
3 At hæc de altero Simeone, nimirum Stylita, hoc pariter die culto, intelligenda videntur. Ut ut id sese habeat, Floro, Hrabano et Nolkeri, quantum ad diem v Januarii, quo etiam S. Simeonem signant, plerique consonant Hieronymiani codices. Lucensis apud Florentinum sic habet, festum Occursus S. Simeonis, cum accepit puerum Dominum in ulnis suis, ut inquit in Annotatis Florentinis, manifeste distinguens ab ejus depositione : In Jerosolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum Jesum Christum Maria et Joseph, et depositio ipsius Prophetæ. Iisdem pene verbis S. Simeonis annuntiatio concipitur in codice Corbeiensi apud eundem Florentinum, apud Acherium tom. 4 Spicilegii pag. 620, apud Martene tom. 3 Anecdotorum col. 1572, uti et in Opere nostro tom. VII Junii in Corbeiensi breviori. Ex reliquis vero vetustis Martyrologiis, eodem Anecdotorum tomo a Marteneo excussis, S. Simeonem die v Januarii signant Morbacense et Autissiodorense ab annis circiter mille, ut titulus præfert, sub Hieronymi nomine compactum, sed sub nomine Simonis, quod

quibus S. Simeonis memoria